

PALÆPHATI GRÆCI SCRIPTORIS DE NON CRE-
dendis fabulosis narrationibus opusculum, Philippo Phasia-
nino Bononiense interprete.

PHILIPPVS PHASINIANVS LECTORI.



Alæphati huius à nobis de græco in latinum idioma translati, præter Euse-
bium, autorem prouerbiorum Græcorum, & cæteros, mentionem & Suida
in collectaneis ita fieri obseruauimus. Παλαίφατος ἢ Πάριος ἢ Πριηνεὺς γεγονώς
κατὰ Ἀρταξέρξην, ἀπίστων βιβλία εἶ, τινὲς δὲ ταῦτα εἰς τὴν Ἀθῆναιον ἀναφέρουσι.
hoc est, Palæphatus Parius siue Prienensis, tempore Artaxerxis fuit, incredibilium libros
quinque scripsit, quidam tamen hæc in Athenæum referunt. Celebratur quoque alius quis-
dam nomine Palæphatus Abydenus, historicus temporibus Alexandri Magni, qui inter
cætera, solutiones interpretationesque fabularum scripsisse traditur. Item & tertius quis-
dam eiusdem nominis poeta Athenis, Palæphatus fuit, qui de situ orbis & de contem-
tione Mineræ ac Neptuni scripsit, ut in monumentis Græcorum habetur, de quibus
tamen nihil ad rem præsentem. Huius Palæphati nostri autoritate atque testimonio
Vergilium eo carmine ex Ciri ad Messalam usum fuisse tradunt. Docta Palæphatia testatur uer-
ce papyrus. Hunc eundem Probus interpres Maronius citat, super expositione illius
Vergiliani carminis ex tertio Georg. Frena Pelethroni Lapithæ giroscque dedere &c. ubi
opinione Palæphati de centauris, quemadmodum & Seruius & alii quidam, probat.
Admonendus est tamen lector, ut apud Probum ubi passim legitur Palæphatus in libro
Ariston, sciat legendum esse Apiston, quando libri eius ita appellantur à Suida βιβλία
ἀπίστων, id est, libri incredibilium, seu incredulorum, ut quidam exponunt, uel περὶ ἀπί-
στων ἰσογίων, id est, de non credendis historiis, uel falsis narrationibus, ita enim omnibus
hisce nominibus ac titulis libri isti circumferuntur, citanturque ab eruditis. Hunc autem
Palæphatū, ut ex Suidæ uerbis colligimus, libros quinque scripsisse apparet, quemadmo-
dum quidam huius librum primum uel secundum incredibilium citant, penes quos
forte omnes isti libri integri esse debent, quorum pauca hæc, quæ ad manus nostras
iam decem anni sunt, opera Aldi Manutii peruenerunt, fragmenta quedam uerius esse,
quàm legitimum opus eius constat, quæ etiam corrupta mutilataque pluribus in locis ita
sunt, & ea maxime in parte ubi de Hercule agitur, ut uix percipi, eruditorum etiam iudic-
cio, possit, nisi pro captu ingenii cuiusuis, quid pauca illa, & alia quedam ambigua
sibi uelint. Quæ omnia calamitati temporum (ut pleraque alia) accepta quidem referi-
mus, quæ omnibus ferme bonis operibus & latinis, & græcis semper insidiata est. Ut
plura ad nos uel sine capite, ac membris mutilata imperfectaque transmiserit, quorum re-
parationi ne ipse quidem Aesculapius, qui mortuos etiam ad uitam reuocabat, subue-
nire atque occurrere posset. Ego uero quantum in me fuit in his transferendis operam de-
di, ut culpa carerem, utque fideliter magis, quàm ornate interpretarer. Quibus si maior
tamen diligentia requiretur, non mihi magis quàm temporis iniuriæ uitio detur. Atque
adeo (ut quod sentio semel dicam) quis ab aliquo Græcorum hominum hæc Palæphati
scripta interpollata suppressaque fuisse non utique etiam credere possit? Etenim cum ipsi
de mendacio iam pridem male semper audiuerint, eorum uanitates, quod Palæphatus
facit, testimonio quoque suorum detegi, atque redargui non sine graui molestia eos audire
posse, necnon incredibilium libros hosce mirandum in modum detestari contende-
rim. Sed ut serio Græcos quandoque ipsos, cuius linguæ studiosus semper fui, ab iis etiam
quæ sibi obiiciuntur, purgatos reddam, ne uel mendacio eis omnia ascribi patiar, & ut
inepti nomine, sic mendacii uitio carere eos ostendam. Tale quidpiam illos in fabulo-
sis narrationibus suis obseruare uoluisse crediderim, quale iurisperiti illi primi, quod
Cicero cum alibi, tum in libris de oratore memorat, obseruarunt, qui obtinendæ atque
augendæ